



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ezechielis Spanhemii Dissertationes De Praestantia Et Usu Numismatum Antiquorum

Spanheim, Ezechiel

Amstelodami, 1671

I. Ad Seriem Caesarum & Augustorum. De Nummis Clodii Macri, Pescennii Nigri, Gordianorum, Q. Herennii Etrusci. De Gallienis; XXX Tyrannis. Item Herennio & Timolao; Waballatho; Domitio Domitiano &c. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-12878

rum in hoc genere, ut ex ea veram imperii omnium maximi magnitudinem æstimare nobis hodie liceat. Adeo eam ante oculos ponit infinita nummorum in hoc genere supellex, mole, elegantia, numero spectabilis, ut hæc sola multitudine aut varietate, tractantium cupiditatem morari & explere videatur. Hinc felix passim Procerum aut Antiquariorum industria, in colligendis iis & in quasdam classes digerendis, eaque publicis & præclaris monumentis ab iisdem non semel contestata. Neque enim hujus utilitatis præstantiam ignorare quemquam patiuntur, aut laudabiles vel Vici, vel Stradæ, vel Hulsii conatus, aut intentior Seb. Erizzi opera; aut diffusa Goltzii industria; aut diligens Oconis cura; aut luculenta Ducis Arcehotani penus Nummaria; aut Fr. Angeloni haud contemnendi labores; aut præstantior in hoc genere, & fulta majoribus litterarum præfidiis Joannis Tristani solertia. At vero longe adhuc plura & potiora forte ad illustrationem & complementum ejusdem Historiæ Augustæ latent etiamnum recondita in Principum & Antiquariorum Cimeliarchiis aliquando ex iis bono publico depromenda. Talium certe præclaram quandam segetem cum à Cl. vestro Gottifredi exspectamus, tum à præclaris in Gallia viris, quibus Regiæ hujus Gazæ custodia feliciter commissa est. Hæc enim singula non inani aliqua prædicatione, sed totidem oculatis testibus probant, Cæsarum Seriem, Conjugia, Adfinitates, Titulos, Dignitates, facta quæque illustra domi ac foris, nullibi luculentius quam in eorundem Nummis consignata reperiri.

Continuam certe aut minus interruptam Cæsarum
& Augustorum SERIEM nequidquam alibi in mo-
numentis veterum quæras. Eam quippe ita Nummis
Eccc 3. anti-
I.
Ad Seriem
Cæsarum
& Augu-
sterum.

antiquis digestam nosti, ut non illos solum tradant, quorum diuturna ac vulgata imperia, sed frequenter etiam obscuros illos & minusculos vel Cæsares vel Tyrannos. Hos enim ut plurimum videas, aut brevitate vitæ vel principatus, aut longinquitate locorum, in quibus tanti nominis consortes impetu vel factione designati, aut tenui gestorum fama, contrariis & incertis auctorum relationibus tradi. Huc referri possent **CLODIUS MACER**, cujus nummum post Neronianos produxit Trifstanus, nisi suspecta esset illius fides, & reprehensa erudito antiquario novitas. Felicior hac in parte **PESCENNIUS NIGER**, cujus superstites aliquot nummi inter selectiora id genus Cimelia vulgo solent referri. Ut præcipuum certe & unicum Gazæ Farnesianæ ornamentum recondi haud ignoras hujus Pescennii Nummum mole & raritate plane singularem, & quem cum aliis ejusdem Musci nummis, Serenissimi Parmæ Ducis comitate, tractare mihi licuit. Ab una parte nempe exhibet Pescennium cum inscr. **ΑΥΤΟ. ΚΑΙΣ. ΠΕΣΚΕΝΝΙΟΥ. ΝΙΓΕΡΟΥ. ΣΕΒ.** in averfa vero Mulierem cum Spicis, Face & serpente, ac epigraphe **ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ**: ut Antiochiæ percussum illum constet, in quo tractu susceptum à Pescennio sed breve & infelix imperium liquet. Ut vero dubiam largiar nonnullis hujus Nummi fidem, at vero extra controversiam ab omnibus positi alii ejusdem Pescennii nummi, quales aliquot Germaniciæ ad Euphratem percussi cum inscriptione **ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΗΣ**, & variis symbolis, aut venatoris nempe cum Arcu & Cane, ut in sequenti nummo Musci Lomeniani jam Regii,

aut



aut Æsculapii seu Serpentis variis plicis involuti, in Nummis Gazæ Cæsareæ æ Medicæ, aut Bacchi cum vase & Botru in Cimeliarchio Reginae Christianæ; aut Figuræ dextrâ virgâ protendentis, in nummo Gazæ Estensis, quos omnes Viennensi excepto versare mihi licuit. Accedit alius ejusdem Musei Cæsarei cum Pallade & inser. ΤΙΑΝΩΝ, & alter rursus Leonardi Agostini, (modo genuinus) cum figura & ara, ac loci nota ΤΑΝΑΡΡΑΙΩΝ. De GORDIANIS autem Cæsaribus vulgo nosti ambigere non unum Scriptorem Historiæ Augustæ, an duo vel tres iidem exstiterint. Neque liquida res foret hodie, ni præter obvia Gordiani junioris numismata, rariora nonnulla Avum ejusdem ac Patrem, dictos vulgo Africanos, adhuc hodie conspiciendos darent. Sic hiatus ille haud ignotus inter Gordiani Nepotis & Valeriani tempora, in Historia Augustæ scriptoribus, Eusebii Chronico, Juliani Cæsariibus, aliisque prisca & coævis monumentis, in quo supplendo refulget præcipua quædam nummorum id genus opera. Ex iis utique, MARCIUM quendam (non Marcum) & SEVERUM HOSTILIANUM, Gordiani Pii successores, non Zonaras solum aut Cedrenus (quod vidit Casaubonus) sed Nummi etiam apud Goltzium arguunt. MARINUM in Pannonia electum ævo Philipporum, & Jotapianum quendam Zozimus & Zonaras litteris mandarunt. Quo auctore ve-

Adam. Ru-
pert. in
Chronol.

ro dictus sit recentioribus P. CARVILIUS MARI-
NUS, quærit Casaubonus: id vero è nummis hau-
stum, ut nuper adnotavit vir doctus. Quamquam, ne
quid dissimulem, eosdem haud ignorem suspectos no-
vitatatis peritis aliquot antiquariis. Alium tamen rarum
& genuinum ejusdem Marini Nummum, præter O-
ctavium Stradam, vulgavit haud ita pridem vir hujus
antiquitatis intelligentissimus P. Seguinus, ΘΕΩ ΜΑ-
ΡΙΝΩ inscriptum; ut consecratis Cæsaribus eundem
quoque arguat adnumerandum. Trajani Decii succes-
sores duos Nummi rursus suppeditant, quorum exi-
gua aut obscura apud Auctores mentio; Q. HEREN-
NIUS ETRUSCUS MESSIUS DECIUS, NOB. C.
CÆS. Alter, C. VALENS HOSTILIANUS AUG.
vel juxta alios, C. VALENS HOSTILIANUS MES-
SIUS QUINCTUS NOB. C. qui postremus in Num-
mo Inclytæ Reginae, errore procul dubio illius qui
nummum flavit HOSTILIANUS sine s etiam scri-
bitur. Præter argenteos & æreos utriusque Nummos
mihi non semel inspectos, æreum maximum Hostilia-
ni (vulgo apud vestrates *Medaglione*) apud Abbatem
Bracesium vidisse memini, qui eodem volente novissi-
me in Reginae Museum transit, & exquisitæ raritatis
nummis merito debet accenseri. In averfa illius parte si-
gnatur Victoria gradens cum corona, & inscr. VICTO-
RIA AUG. G. Priorem vero, Q. nempe HEREN-
NUM ETRUSCUM, à patre Decio Cæsarem declara-
tum clare docet Victor Schotti, præter lapides & Num-
mos. Cum Patre etiam eundem in acie cecidisse, cum
Victor uterque, tum Jornandus & Cassiodorus tra-
dunt, suppresso tamen illius nomine. Eundem vero
non CÆSAREM solum, sed AUGUSTUM etiam à
Patre Decio adhuc superstite renuntiatum, Nummus
argen-

argenteus apud Occonem arguit; quamvis fatear *Cæsarem* tantum vocari in Nummis ejus hactenus mihi inspectis. Frustra autem Onufrius hoc *Augusti* nomen mortuo demum Decio illi Etrusco concessum existimat. Singularem vero imprimis ejusdem Nummum, eumque & majoris, ut vocant, moduli è Cimeliarchio nuper Cl. Seguini jam Regio depromptum haud pigebit repræsentare. Exhibet hinc hujus Herennii vultum cum inscr. ΚΟΤΙΝ. ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΥΣΚΟΣ ΜΕΣ. ΔΕΚΙ. seu *Quintus Herennius Etruscus Messius Decius*; illinc duas figuras, unam Herculis stantis, qui dextra fulmen gerit, sinistra autem Clavam porrigit Jovi sedenti, cum litteris ΕΠ. ΚΟΜ. Φ. ΓΑΥΚΩΝΟΣ ΘΕΟΛΟΓΟΥ, infra ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ



Unde lucem etiam mutuantur, quæ de Hercule *κεραυνοφόρος* seu Fulmine armato jam alibi monuimus. No- Diff. v. tanda vero hic obiter illa ΘΕΟΛΟΓΟΥ appellatio, quam profert ille Glucon, & qualem Seleuco tribuit Porphyrus in aureo libello, ubi Diphili meminit Cypriorum Regis, quem regnasse tradit circa Seleuci & Lib. II. de Θεολόγῃ tempora, qua de re alibi. De altero vero, V A- Abstn. LENTE nempe HOSTILIANO, eum defuncto Decio, Treboniani Galli in imperio Collegam clare docet Victor Schotti. *Hæc ubi Patres comperere, Gallo* HOSTI-

FFFF LIA-

LIANOQUE *Augustæ imperia, Volusianum Gallo editum
Cæsarem decernunt. Ita Eutropius, prout recte nuper eum
distinguit vir doctus, mox Imperatores creati sunt Gallus
HOSTILIANUS, & Galli filius Volusianus. Hæc vero
in Nummis clara, in quibus hic Hostilianus Cæsar non
solum, sed Augustus etiam vocatur. Illud autem magis
ambiguum, an idem Decii gener, ut post Onufrium
existimat Trifanus, an vero filius censendus sit, ut nu-
per adseruit vir doctissimus ad Eusebium; quorum ta-
men neutrum ex Victore & Eutropio licet colligere.
Non diffiteor me illi sententiæ libentius accedere, ut
credam eum Severi Hostiliani paullo ante Cæsaris fi-
lium, à Decio autem adoptatum, data illi forte in ma-
trimonium filia, ut ex edito utriusque Nummo colligit
Trifanus. Ut vero postremum ex iis à doctis quibus-
dam antiquariis controversi haud ignoro, sic adoptionem
illam Hostiliani, Nummi alii & lapides videntur
comprobare, in quibus VALENS HOSTILIANUS
Gentile illi nomen, QUINCTUS & MESSIUS
Decii nomina, consueto more, adoptionis ejusdem
memoriam posteris tradidere. Neque enim hæc po-
strema cognomina continuo eum Decii naturalem fi-
lium probant, ut existimabat vir doctus, qui ab ado-
ptatis novorum parentum appellationes sumi non de-
buit ignorare. Certe neque Victor, neque Eutropius,
qui Decii & Hostiliani meminere, hunc prioris filium
tradunt; qui alias Decium & ejusdem filium Etruscum
una die volunt interiisse. Utrumque vero ETRU-
SCUM & HOSTILIANUM Cæsarem & Principem
Juventutis dictos sub Decio, ex amborum Nummis &
Inscriptionibus patet. Neque hic prætereundus Num-
mus æreus è maximorum genere, inspectus mihi in
Gaza Barberini Cardinalis, qui hinc Decium exhibet,
illinc*

illinc duo capita mutuo se respicientia cum inscript.
Q. HER. ETR. DECIUS C. VALEN. HOSTIL.
 Unus forte hic turbat Zozimus, qui filium alterum
 Decii, patre & fratre mortuo à Gallo adoptatum scri-
 bit, & ab eodem postea è medio sublatum; quæ ad
 hunc Hostilianum Galli collegam spectare videntur.
 Nec alia superest ratio, nisi ut dicamus, aut Zozimum,
 generum vel adoptatum filium à naturali non distin-
 xisse, quod accuratioribus Zozimo scriptoribus haud
 insolitum; aut ad alterum quempiam Decii filium no-
 bis ignotum eundem respexisse. Certe nec eodem fato
 tradit eum periisse, quo Hostilianum extinctum narrat
 Victor, & ante Gallum jam soli Decio designatum hæ-
 redem imperii Hostilianum; ex reliquis Nummorum
 Lapidumve monumentis clare licet eruere. Hostilia-
 no vero demum sublato, **VOLUSIANUM** Augustum
 cum Patre **GALLO** declaratum, videtur ex Nummis
 colligi, in quibus Volusianus Cæsar primum dictus,
 postea solus vel cum Patre Augustus nominatur. Sed
 obscuriora adhuc proxima **GALLIENI & VALE-**
RIANORUM tempora simul & imperia, quibus certe
 Nummi dilucidam quandam faciem præferunt. Hic e-
 nim aut titubantes passim videas scriptores Historiæ
 Augustæ, aut caliginem crebro lectori offundentes. Id
 vero & agnovit & probavit re ipsa doctissimus Casau-
 bonus, dum in eadem eruenda haud unius lapsus reli-
 quit vestigia. Ac primo de **VALERIANO JUNIORE**
 an Augustus vel Cæsar tantum sit declaratus, hæc refert
 Trebellius Pollio; *ubi & continuo & frater ejus* (hoc est
 Gallieni) *VALERIANUS est interemptus, quem multi*
Augustum, multi Cæsarem, multi neutrum fuisse dicunt, quod
verisimile non est. Siquidem capto jam Valeriano scriptum inve-
nimus in fastis, VALERIANO IMPERATORE COS.

Quis igitur alius esse potuit Valerianus, nisi Gallieni frater?
 Huic certe Valeriano Juniori Augusti nomen tribuit nummus Græcus apud Occonem; sed qui ad alterum SALONINUM VALERIANUM Gallieni non fratrem, sed filium referri debuerat. Id enim manifeste arguit ejus inscriptio, ΠΥ. ΛΙΚ. ΣΑΛΩΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. CEB. hoc est, *Publius Licinius Saloninus Valerianus Augustus*; & simul *Casarem* eum non solum, quod tradit Victor Schotti, sed *Augustum* etiam declaratum. Frustra vero additum à Trebellio, quod nullus alius potuerit esse Valerianus, nisi Gallieni. Tres enim Valeriani in Nummis, prior P. LICINIUS VALERIANUS à Persis captus, alter itidem P. LICINIUS VALERIANUS filius superioris & frater Gallieni, Onufrio & Goltzio P. AURELIUS LICINUS VALERIUS VALERIANUS, quem prope Mediolanum sepultum vult Trebellius; tertius, P. LICINIUS CORNELIUS SALONINUS VALERIANUS Gallieni filius. Ita duo in antiquis Nummis Gallieni, unus P. LICINIUS GALLIENUS Valeriani filius, qui diu rebus Romanis præfuit, alter Q. JUL. SALONINUS GALLIENUS NOB. CÆS. Gallieni filius, ac Salonini Valeriani frater minor, & qui proinde Trebellio *Gallienus minor Saloninus* haud immerito dicitur. Unde miror virum doctum, qui nuper observationes Historicas ex antiquis Lapidibus ac Nummis concinnavit, in tradendis Valerianis & Gallienis aliquos confudisse, alios præteriisse. Illos vero minusculos seu tumultuarios Cæsares circa eadem tempora exortos, quos sub xxx Tyrannorum nomine Trebellius Pollio complexus est, paucissimis exceptis tradunt antiqua Numismata. Ita quidem, ut qui ex iis vel *Augusti* vel *Cæsares* declarati, aut quibus nominibus ac
 cogno-

cognominibus distincti, non aliunde certius hodie nobis constet. Neque enim in iis solum occurrunt ODENATHI, MACRIANI, QUIETI, POSTUMI, VICTORINI, TETRICI, alique, sed & illi, quorum unum Trebellium videas obiter meminisse, CYRIADES, INGENUS, CALPURNIUS PISO. Hinc etiam patebit Julio Ateriano apud eundem Trebellium, *Junium Postumum* non male vocatum, nec id ex Nummis refelli, ut censebat illustris Salmasius, in quibus nempe non Pater sed Filius C. JUNIUS CASSIUS POSTUMUS vocatur. Nec video cur nuper vir doctus aliquoties designatus Aterianum accuset, quod Filii nomen Parenti perperam tribuat; quum ejus verba ad Postumum juniorem commode possint referri, nec ulla in iis occurrat Senioris mentio; *Victorino*, inquit, *qui Galliam post Junium Postumum rexit, neminem existimo praeferendum*. Uterque enim in Galliis Augustus renunciatus Postumus Parens & Filius. Ita HERENNIANUM & TIMOLAUM, Odenathi & Zenobiae filios, Augustos declaratos ex Nummis accepimus, ut vere pateat adfertum à Pollione, horum adolescentum nomine imperasse Zenobiam. Negat tamen id Vopiscus in Aureliano: *Hac quoque ad rem pertinere arbitror Balbasi filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani imperium tenuisse, quod tenuit*. Ita horum Nummorum fide *Vaballathus* (seu potius *Vhaballatus* juxta Nummorum scripturam) in eodem loco Vopisci feliciter à doctissimis Viris restitutus loco *Balbasi*, & merito castigatus error Casauboni, qui fictum hunc Principem nec plane in rerum natura extitisse credidit, aut plane ab hoc *Vhaballatho* diversum. Quo loco non prætereundus inelytæ Reginae Nummus inscriptus IMP. VHABALLATHUS AUG. & in averfa figura cum

capite radiato & Globo, ÆTERNITAS AUG. Neque vero alterum illi nomen HERMIÆ minus feliciter jam adfertur à Trifano, pro quo Salmafius, Occo, aliique ARMENIÆ vocem in hujus Vhaballathi nummo signare credidere, & in eruenda etiam causa nequidquam laborarunt. Geminus certe cum Trifani nummo alter Mediceus, & quem Magnæ Chriftinæ Mufcum etiam recondit, ΑΥΤ. ΕΡΜΙΑC ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟC ΑΘΗΝΟΥ Λ. Δ. in averfa parte Nummi Aureliani cum capite laureato, & diademate. Ut certe liqueat Occoni, Goltzio, aliisque temere fidem non efse mancipandam, ubi Græcos Nummos attigere, quod & sæpe in processu hujus operis demonstratum, & aliis sexcentis exemplis probare hic possem. Neque ignotum aliunde apud Græcos illud nomen Hermiæ seu *Ερμεία*, sicut Polybio vocatur summæ rerum præfectus apud Antiochum, cui simile profert etiam antiquus nummus Temnitarum Æolidum, ΕΠ. ΑΥΡ. ΕΡΜΕΙΟΥ ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ. Illud vero magis ambiguum, cur Trifano placuerit eundem Hermiam Vhaballathum, Herodiani filium & Odenathi nepotem ex ingenio statuere, quem Zenobiæ tribuit Vopifcus; aut cur ΑΘΗΝΟΥ in superiori Nummo, quasi *Athenis filium* ad eundem Herodianum referat, quam tamen appellationem nec Herodiani ipsius nummi arguunt, nec aliunde licet eruere. Utinam minus nonnunquam ingenio & conjecturis suis indulfisset in nummorum id genus explicatione vir alias de his studiis optime meritus, maxime ubi sine duce à veterum autoritate discedit. Neque levius errat Onufrius, quum eundem Vhaballathum, tanquam tertium Zenobiæ filium cum Herenniano & Timolao, Pollioni designari scribit. Alitum enim de hoc Vhaballatho apud Pollionem silentium.

Lib. v.

tium. Id vero minus mirum iis videbitur, qui sciunt quid & quantum Onufrii (qui tamen pater Historiæ Scaligero alicubi vocatur) diligentia tribui in talibus debeat. Haud ignotus vero Tyrannus iisdem temporibus **DOMITIUS DOMITIANUS**, qui à Domitiano Imperatore aut Domitilla genus suum derivabat, & cuius rarissimum nummum cum titulo Augusti, nempe **IMP. CL. DOMITIUS DOMITIANUS AUG.** & cum Genio in averfa parte haud illibenter hic vulgamus.



In Cimel.
Reg. Christi-
stinae & P.
Seguini.

Ita **FIRMIUM** etiam & **FIRMUM** diversos tradunt Nummi rariores, illum Zenobiae socium & Augustum dictum in nummo Græco apud Goltzium, hunc Tyrannum in Africa sub Valentiniano Imperatore, cum inscr. **D. N. FIRMUS P. F. AUG.** Unde haud male jam collegerunt eruditi, & priorem male Vopisco Firmum vocari, & posteriorem de hoc Firmo Valentiniani temporibus exorto omnino esse intelligendum; quamquam aliter doctissimo viro placuisse noverim. Mitto Diocletiani & Collegarum temporibus exortos, eosque Augustos in Nummis signatos, **ÆLIANOS** duos, quorum alterius nummum possidet laudata toties Regina; **AMANDUM**; duos **JULIANOS**; **ACHILLEUM**; **ALECTUM**; **CARAUSIUM** quoque, cuius postremi nummus cum in Thefauro Mediceo reconditus, tum novissime Cimeliarcho Barberino accessit. Eiusdem etiam rarissimum num-

num-

HANNIBALIANUM; quorum prior cum dignitate Cæsaris occurrit, posterior cum Regis titulo jam olim à Cl. Valesio ad Ammianum vulgatus. Equidem DELMATII nummum videas etiam in Museo Regi-
 næ inscriptum FL. DELMATIUS NOB. CÆS. in altera facie, victoriam cum corona & inscr. DELM-
 ATIUS CÆSAR. Jam NEPOTIANUM & VETE-
 RANIONEM Augustos circa eadem tempora decla-
 ratos, Nummi eorundem arguunt, quales exstant in
 Gaza Medicea, cum solitis illo ævo symbolis, GLO-
 RIÆ ROMANORUM & VIRTUTIS EXERCIT-
 UUM. Quin exorti eodem Constantiniano ævo Ty-
 ranni TIBERII signata adhuc hodie memoria in il-
 lius nummo, quem servat Gaza Cardinalis Buoncom-
 pagni, omni hoc monumentorum genere commen-
 datissima. Ita PETRONIUS MAXIMUS & PRIS-
 CUS ATTALUS, cum alibi tum in Cimeliarchio
 Farnesiano mihi inspecti, quorum ille Valentiniano
 cæso imperium arripuit, de quo præter Historicos ad-
 eundus Sidonius in Epistolis & Panegyrico Aviti; al-
 ter vero Imperator ab Alarico juxta Philostorgium
 constitutus. LEONEM & ANTHEMIUM, concord-
 des in imperio collegas laudat idem Sidonius, & illu-
 stravit ex nummo aureo doctissimus Sirmondus. Oc-
 currit idem Anthemius cum alibi, tum in nummo au-
 reo Christinae Augustæ. SEBASTIANUM vero Ty-
 rannum quendam ætate Honorii existisse, qui Augu-
 stam appellationem sibi quoque vindicavit, vix aliun-
 de difces quam ex rarissimo ejus nummo, quem sele-
 ctis suis Numismatibus opportune inseruit Cl. Segui-
 nus. Neque hic prætereundi duo singularis raritatis
 Nummi, quos versabam nuper inter alios plures sele-
 ctiores; unus aureus Regiæ Gazæ Parisiensis, inscri-
 ptus

Hist. Eccl.
 lib. xii.

Gggg

ptus

ptus D. N. GLYCERIUS P. F. AUG. Unde liquet hunc Anthemii temporibus, non *Cæsarem* solum, ut eum vocat Marcellinus Comes, sed *Augustum* etiam renuntiatum, quem è Cæsare factum postea Episcopum, & mox à Nepote occisum tradit: Alter itidem aureus penes illustrissimum Colbertum, cum inscr. D. N. THEODEBERTUS VICTOR, & in averfa parte Victoria & litteræ VICTORIA AUGGG.

2.
Ad Seriem
& Histo-
riam Au-
gustarum.

AUGUSTARUM vero seriem luculentam iisdem nummis acceptam ferimus, & earum quidem, quarum tenuis aut nulla etiam mentio in priscis veterum monumentis. In illis certè videas Cæsarum Uxores, Matres, Avias, Sorores, Filias, Neptes; neque solum earundem imagines, sed nomina insuper, dignitates, & supremi fastigii vel insignia vel appellationes. Neque mirum honorem illum habitum Feminis Cæsarum sanguine aut adfinitate conspicuis, quum aliis matronis apud Romanos Senatoria & Consularia quoque ornamenta legamus nonnunquam concessa. Eximius hanc in rem Lampridii locus in Elagabalo, *si umquam aliqua matrona Consularis conjugii ornamentis esset decorata.* Nèc facile quisquam mirabitur ea ætate, qua libertis aliiisque sortis vilioris Prætoria aut Consularia ornamenta frequenter decreta legimus, iisdem quoque nobiliores aut gratiosas Matronas insignitas. Ita mentio earum mulierum occurrit apud Ulpianum, quæ Senatoriis ornamentis decorabantur; *Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas utriusque sexus; item earum qua ornamentis Senatoriis utuntur.* Unde ille Lampridii locus, qui magno Casaubono unicus videbatur index huius moris, & ipse vicissim Ulpianus non parum illustrantur. Exemplum quoque illius præbet sub Elagabali Principatu mater Hieroclis, foedissimi cujusdam man-

L. 106. D.
de verb.
sign.